












DA BOX





CARMEN FVNEBRE GRÆCOLATINVM.

IN OBITVM AMPLISSIMI, generosissimi, & incomparabilis Herois, D. IOHANNIS BILDE, D. de Bildisholm nobilitate stemmatis, pietate, virtute, & eruditione præstantissimi: Potentissimi & Sereniss: Regis Daniæ FRIDERICI II. in Gothlandia olim Præsidis fidelissimi & meritissimi: Qui in filii Dei vera confessione placidè ex hac vita in cœlestem emigrauit, 4. Cal: Maii Anno 1575.

ADDITÆ SVNT DVÆ ELEGIAE Consolatoriæ: Vna ad nobilissimam Dominam CATHARINAM RONNOV coniugem.

ALTERA ad generosissimum virum, nobilitate generis &c. præstantissimum, D. STENONEM BILDE fratrem D. Iohannis Bilde defuncti.

A

M. THORBERNO NICOLAO Ripensi.

Apocalip. 14. μακάριοι οἱ νέκροι οἱ ἐν κυρίῳ ἀποθνήσκοντες.

MAGNIFICO, GENEROSO, ET VERE NOBILI VIRO, PIETATE, & doctrina præstantiss: D. ERICO HARDENBERGH, Domino de MATTROP: Mecœnati suo reuerenter colendo. S. D.

Heröum sublime decus, clarissima stirpis
Gloria, qui claro stemmate nomen habes
HARDENBERGE tuum: Charitum Musæq; nouennæ
Rarum ornamentum præsidiumq; meum.
Ad iuga Leucoreæ patronum luget ademptum,
Alternisq; gemit mœsta Thalia modis:
Dignus erat meritò fatis melioribus uti,
Indigna est tanto, terra quieta viro,
O quàm sæpè meis studijs tulit ille leuamen,
Quamq; tulit largam, sæpè petitus, opem.
Mœsta igitur mens est, leni nec carmina ductu
Nostra fluunt, animum cura, dolorq; grauat:
Si qua priùs tristis meruerunt tempora luctus,
Si qua dolore priùs, iusta querela fuit.
Nunc opus est lachrymis, tristes nunc fundere fletus
Conuenit, hic pondus debet habere dolor:
Carmina proueniunt positis fœlicia curis,
Tunc agitante Deo vena benigna fluit.
Suscipe placato funebria carmina vultu,
Vt subeant grati muneris illa vicem:
Suscipe lugubris nec despice munera Musæ,
Munera muneribus inferiora tuis.
Sic tua Pieriæ celebrent præconia Musæ,
Et tua Mæonijs versibus acta canant:
Vnda vel in fontes riuo est ruitura supino,
Gratia quam meriti sit peritura tui.
Viue precor Pylios superando splendidus annos,
Vt te stirps generis quinta salutet auum:
Perge meis studijs syncerus fautor adesse,
Inde tibi veniet gloria summa vale.



Magnifi. Tuæ addictiss.
Thorbernus Nicolaus Ripensis.

IVSTA EXEQVIALIA
BEATIS MANIBVS, CLARISsimi & nobilißimi D. Iohannis Bilde in cœlestem patriam emigrantis, æternæ gratitudinis ergò soluta, per
THORBERNVM NIC: RIP:



Vm mea nescio quo sunt obruta pectora luctu,
Magnus et astringit pectora mœsta dolor:
Hîc ad arenosos Albis quos irrigat agros,
Non exoptandus nuncius ista refert.
Heros magnanimus Bildorum clara propago,
Vir pius, eximia nobilitate satus,
Mœrendum, æthereas animam exhalauit in auras,
Vt repetat summi cœlica regna Dei:
Conditione plagæ missa, spretaq; caducæ,
In rutilum subitò tendit adire polum.
Hei mihi, quid primùm querar? aut quo percitus œstro
Funera deplorem? vah nimis atra dies?
Aut quas inferias, aut quæ funebria soluam
Digna satis meritis chare Patrone tuis:
Ah vtinam pro te mihi fata subire liceret,
Fata libens subeam ductus amore tui.
Æthera dum volucris, dum flumina piscis amabit,
Donec in hoc aliquis corpore sensus erit:
Non tua Lethæo tradam benefacta liquori,
Non erit officij gratia vana tui.

Eloquar an sileam? cor præ mœrore fatiscit,
Hæret lingua metu & mœsta dolore riget.
Innumeris meritò mea mens erat obruta curis,
Pectore cuncta mihi membra pauente tremunt:
Sed puer ingenuus faciemq́, animumq́ parenti
NICOLEOS similis, dulce leuamen adest,
Is mihi tum fallit tardè labentia dictis
Tempora iucundis, carminibusq́ suis,
Inclytus Aonij qui nunc est fontis alumnus,
Facundæ nitida Pallidis arte valens.
Cur mea Musa gemis? tandem deflere iacentem
Desine patronum, non rata vota foues,
Iam depone tuum cum tristi pectore luctum
Sat tibi mœroris tristitiæq́ datum,
Frustra etiam queritur tristi mens anxia cura
Nec video fletu pondus inesse meo:
Tùm quia non aliter Diuûm pater atq́ hominum Rex
Tùm pia fata ferunt, meta peracta negat.
Fata Deûm firmo constant adamante reuincta,
Non opis humanæ est flectere fata Deûm:
Aspera si precibus potuissem flectere fata,
Vel prece, vel precio, iam rediuiuus erit,
Ipsa preces spernit dura implacabilis aure
Mors, precio nescit blanditijsq́ capi.
Vnius ob noxam tanta indulgentia morti est
Permissa, vt nullis hactenus æqua foret:
Primus homo perijt, cuncti perière minores,
Omnibus est mortis hæc adeunda via.

Non refugit vulgi sordes, nec sceptra veretur
Regum, magnorum nec timet arma Ducum:
Vtile si quicquam miseris mortalibus extat,
Hoc sæuis manibus Mors rapit atra suis,
Ætati nulli parcit, nec parcit honori,
Optima permittit nec diuturna fore.
Attollis cur Parca tuas temeraria cristas?
Atq; hinc te titulum laudis habere putas?
Grandibus his audax spolijs age Parca superbi
Hunc iaculis iacta succubuisse tuis,
Hic minimè cecidit quamuis cecidisse videtur,
Mortis nec iaculis hic obijt, sed abit:
I nunc & gratare tuis Mors languida telis,
I nunc ostentans ampla trophæa nimis.
Quod nisi maiestas te freno augusta Tonantis
Sic regeret velut est arte regendus equus:
Prauos seruares, celebresq; bonosq; vicißim
Quosq; trucidares, Parca maligna, viros.
Debueras prauos homines auferre, & inertes
Qui modò sunt terræ pondus onusq; graue:
Sed nunc felices viuunt florentq; scelesti,
Inconcussa quibus peßima quæq; manent.
Iuris habere nihil poteras prius, accidit illud
Permissu excelsi, consilioq; Dei:
Sed trepidos animi tandem miseratus egenos,
Saluificam cœlo misit amanter opem,
Eripuitq; suos gelidi formidine lethi,
Tartara nunc saltem sunt metuenda malis.

 Pieri-

Pierides Musæ præstanti aspergite busto
Aönias violas, Aöniasq́ rosas,
Spargite humum folijs, pallentes ferte cupressos,
Officijs animam condecorate piam:
Floreat herois felix vt gloria tanti,
Clara nitet Phæbo dum radiante dies.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ *IN TVMVLVM AMPLISsimi & generosissimi viri D. Iohannis Bilde.*

Ἔνθαδ' Ἰωάννις τε κλυτὸς τε τετιμένος ἥρως,
κεῖται δέμας, ζαθέου μὴ ἀέκητι πατρὸς,
σώματί τε καὶ τῶν λυτικάκῳ δεδμημένον ὕπνῳ
Εὕδει, καὶ μίμνει ἠῷ ἐΰστεφάνον:
ψυχὴ ἐκ ῥεθέων πταμένη ἐν χερσὶ θεοῖο
προσμένει, αὐτὴ ἔφυ ὀλβίη ἐστὶ σόη.
ἐν δὲ θεῷ μόνῳ στήριξε βιαρκέα πίστιν,
τερπόμενος ζαθέοις ἐνκαρδίηθε νόμοις:
ἔκλυε τῆς διδαχῆς ξυμφροῖσι μετ' οὔασιν ἁγνῆς,
μηδὲ ἀκουέμεναι θεῖ' ἀμέλησεν ἔπη.
Οἴκαδ' ὧδε θύρηφ' ἀρετὰς ἤσκησ' ἐρατεινὰς,
καὶ σοφὸν ἔχεν ἑαῖς, ἐν πραπίδεσσι νόον:
ἐκ δ' ἀρετῆς ἀγαθῆς κλέος ἄφθιτον εὗρεν ἑαυτῷ,
ὅττι υἱεὺς ἔσκε ἀνδρὸς ἀριπρεπέος.
Οἶδά ἐγὼ διδαχὴν τοῦδ' Ἰωάννις πέλεθ' οἷος,
τὰς ἀγαθὰς τέχνας καὶ μέγας ἐστὶ λόγον:
πολλῶν τῇ βουλῇ δύναται προϊδμεναι ἄλλων,
κεῖνον ἐπιστάμενον καὶ δεδάηκα σοφόν:
Οὐδ' ἀδαημονίη ἔχει ἀνέρα ἀμφιπολεύειν
ἠδὲ διεπέμεναι ἔξοχ' ἄριστος ἔφυ.

Μὴ κακὰ ῥέζεσκεν, τάδε μήποτ᾿ ἐμήσατο θυμῷ
    Ναιετάασκεν ἀεὶ νόσφι θεοστυγίης:
Ξύμπαντες μέροπές μιν ἐπῄνεον ἦε φίλιστος
    Πᾶσι, χαρίζεσθαι ἦ μεμαὼς τε βροτοῖς.
Οὐ ῥά τέκνα μόνον ἠγάπαα, φίλην τε δάμαρτα
    καλίστην ΚΑΤΆΡΗΝ καὶ δέμας ἠδὲ φυήν,
Τέκνα τ᾿ ἀγαπητρέως ἑὰ θρέψε τε καὶ ἀτίταλεν
    Αὐτά τε καὶ δέδαεν πάντα θεοῖο φόβον:
Ἀλλὰ καὶ ἔσκε λιμὴν ὡς ἅπασι πένησι φαεινός
    Μούσαις εὐφρονέων ἀγλαὰ δῶρα πόρεν.
Ὣς ὁ ὢν ἐζώεσκεν. ἀτὰρ τὴν σάρκα λιποῦσα
    Εἰσανέβη ψυχὴ λαμπρὰ μέλαθρα πόλου:
Ἦχι παρὰ χριστῷ σωτῆρι σὺν ἀγγελιώταις
    Νῦν διάγει βίοτον πάμμακαρ ἀΐδιον,
Ἀντλῶσ᾿ ἀενάον πηγὴν ἀγάπης ἀμιάντου
    Ἐκ θεόθεν, πλήρης χάρματος ἀμβροσίου.
Ὧδε ἀνὴρ νέος ἦε μινυνθάδιος δέ οἱ αἰών.
    Ἔπλετο, καὶ κρυερῇ κηρὶ ὄλωλε τάχα:
Τὰς ὀδύνας, πένθος τε, καὶ ἄχθεα κάλλιπεν ἄμμιν
    Ἔμβαλεν ἄμμι γόον πᾶσιν ἔθηκεν ἀλγῶν.
Ἀλλὰ ἀποψύξασκε βίον, πατρὸς ὑψιμέδοντος
    Καὶ θάνε, καὶ μεγάλου ὤλεθ᾿ ἕκητι θεοῦ:
Καὶ κονὶς ἔμπαλιν ἄμορφος ἠδὲ καὶ αἶα γένοιτο,
    Ἐξ ὧν ἔπλασθος χερσὶ θεοῖο πάρος.
Μοῖρ᾿ ὀλοὴ χθονίους φῶτας καταπέφνει ἅπαντας
    Ἔνδικον ἠδ᾿ ἀγαθὸν καὶ ἐπιχαιρέκακον.
Τὴν δὲ καὶ εὔμορφοι οὐπώποτε ἄνδρες ἄλυξαν,
    Οὔποτε φειδομένη, δουρὶ λάβεσκε βροτούς.
Ἄμμας πάντας ἕλει, οὐ γὰρ δυνάμεθα ὄ εας
    Γήραος εὑρέμεναι, καὶ θανάτοιο ἄκος.

T. N. R.

EPICEDION IN OBI-
TVM NOBILISSIMI HEROIS & Musarum Mecœnatis, D. IOHANNIS BILDE.

Clarus IOHANNES virtutibus, inclytus Heros
Stirpis BILDIACÆ, Nobiliumq́; decus,
Nobilis antiquo proauorum stemmate, longè
Nobilior veri cognitione Dei:
Conditus hic dormit, Pario sub marmore, viuit
Sanus at in Christi Spiritus ipse sinu.
Vtq́; puer teneris fuerat formatus ab annis
Ponendum in primis partibus esse Deum,
Sic mansit pietas cordi, cultusq́; supremi
Numinis, vnde salus omnibus alma venit:
Dilexit vigili diuinos pectore cultus,
Dæmonis extinctos quos cupit esse furor,
Agnouit Christum, sacri mysteria verbi
Abdita perpendens, mente, fideq́; Deum,
Posthabita siquidem pietate, Deoq́; sciebat
Censeri iusti nomine posse nihil.
Num decus est maius, quàm mens pia luce refulget
Cœlesti, quàm cor fulget amore Dei?
Is igitur potiore animi sententia adorans
Inuicta numen auxiliante manu,
Aßiduè & veterum de Christo oracula vatum
Quæ monachis nunquam nota fuêre legens:

Ditior

Ditior interna superat virtute Latinos
Ter centum mutos qui coluere Deos,
Et densa oppreßi mentis caligine, verum
Contemnunt miseri relligionis opus,
Atq; volutabris cœnoso gurgite lamis
Gaudent, dum lapidem & putrida ligna colunt.
Nulli posterior pietatis laude, nec vlli
Ingenua inferior dexteritate fuit:
Ipsi nec grauitas, nec blandæ gratia frontis,
Nec deerat mentis gloria vera piæ.
Iusticiæq; tenax expendens omnia lance
Æqua, sint homini seu tribuenda Deo:
Munificus cunctis contemsit mente caducas
Diuitias, nec non munera flaua Midæ.
Adde quod à Phœbo Clarios abductus in hortos
Exhausit fontis cuncta docentis aquas,
Hinc magis atq; magis præclaræ laudis amore
Accensus, propero culmina celsa gradu
Musarum scandit, testatæ gaudia Musæ
Imposuere suis, laurea serta comis:
Diues vt eloquio Latia quoq; maximus arte
Graio tentaret, fonte leuare sitim.
Vrbes dum varias quas nutrit Gallia diues
Perlustrat faciens per loca multa moras,
Istas cum peragrat terras ad Parrhisiorum
Mœnia ducit iter, tecta vbi celsa nitent,
Et varijs studijs vbi tunc Academia florens
Extitit, & doctis claruit aucta viris:

Hic didicit quæcunq; viro sunt principe digna,
Luxuriæ nunquam desidiæq; vacat.
Vix quidem credo quenquam studiosius artes,
Et pariter linguas perdidicisse bonas,
Quas grauis exposcit tùm curia, & actio plebis,
Ne turbet medium stidula turba forum.
Culta sed hæc postquam studijs effloruit ætas,
Quẽas solet heroum mens generosa capi:
DANORVM ad cultas ducit vestigia terras,
Pierij & redijt splendor, honorq; gregis.
Vt proauos taceam, clari si gesta parentis,
Et clarum generis stemma referre queam:
Multa forent Musas Phœbeaq; numina testor,
In laudes possem quæ recitare viri.
NICOLEOS genitor celsa virtute nitebat,
Antiquæ auratus nobilitatis Eques,
Atq; à Consilijs Regi, Regniq; senator
Extitit, hinc donec fata tulere senem:
Consilio magnus, clarus pietate, Mineruæ
Dotibus excellens, nomine, req; probus,
Emicuit sapiens, gratus sermone diserto,
Illius & Nestor temporis alter erat.
Sed iam non locus est tantas describere laudes
Nec vires nostræ pondera tanta ferunt:
Hoc alius faciat vena meliora canendi
Præditus, ast restant quæ meminisse decet.
Hæc virtus gnato stimulos dedit æmula magnos,
Vt benè adæquaret splendida gesta patris,

Cumq;

Cumq; sit heroum generoso sanguine cretus,
Non hominis certè pectus inertis habet.
Consilio is proauos superat, pietate parentes,
Et virtute genus non sine laude suum,
Ante alios quoniam æuo florente gerendis
Stenuus in rebus, fortis, & acer, erat:
Pallentesq; reos causas orando tueri
Norat, & orantis fluxit ab ore lepos,
Vt putet arcano cunctos medicamine captos,
Si hominum poterat flectere corda loquens.
Regibus à nostris magno fuit auctus honore,
Præsidis huic tribuunt nomine, & arce frui:
Hîc vbi Gothorum sedes (sed vergit ad Arcton
Terra Lycaoniam) prima & amæna fuit.
Diues opum, niuei pecoris quoq; copia abundans
Insula, montanis vndiq; cincta iugis:
Gratior hoc nautis, magis optatusq; colonis,
Nullus in Arctôo dicitur esse locus,
Incola nec similes habitat magalibus ædes,
Magnificæ ostentat ardua tecta domus.
Vndenos hîc iam totos regnabat in annos
(Rexit Danorum cùm FRIDERICVS opes)
Præsidis eximij iusto moderamine functus,
Ante suis rebus publica sæpè tulit:
Muneris & partes sensu dijudicat acri,
Conferret patriæ vt commoda multa suæ.
Tùm latè ignotis spargit facta inclyta terris,
Et rutilo meruit digna trophæa polo.:

Romulidum veluti clara virtute micantûm
Æmulus, is norat munus obire ducis,
Armigeros etiam tùm Marte & arte Quirites,
Tùm rebus gestis exuperare potest.
Cùm GOTHLANdiacos tentat gens SVETICA fines,
Et populis rupto fœdere damna dedit,
Martis præcipuus labor in sua terga recedit
Totius & belli credita summa fuit:
Ductor erat quo vix animi præstantior alter,
Marte fero quoties bella cienda forent.
Tunc quis IOHANNEM præclarum heroa fuisse?
Magnanimiq́ viri pectus habere neget?
Conueniente loco turmas erat inter equestres,
Secura haud voluit delituisse domo.
Regia tum claßis quæ missa, è finibus hostem
Vt procul arceret, noxia damna tulit,
Namq́ procellosis agitatæ fluctibus vndæ
Submergunt classem non sine clade graui:
Funesta hîc hominum crudeli funere strages
Littoribus cunctis conspicienda datur,
Qualis visa fuit Danaï cum cincta premebant
Pergama, & Illiacas obsidione domos.
Nec deducta quidem belli tormenta fuerunt,
Quæ nimium grauidas impediere rates:
Terruit heu nautas violentus turbine ventus
Nec cuiquam propriæ cura salutis erat.
Ardua res visa est, & deploranda nequibat
Auxiliatrices hisce referre manus:

Illos

Illos aduerso validus luctamine ventus,
Hos duri Martis impediebat onus.
Mansit IOHANNIS mens inconcussa periclis
Arx quamuis denso milite cincta fuit,
Tullius vt quondam concinna voce Quirites,
Conscriptosq́ patres, commouet arte sua,
Illi ductorem facilesq́ citiq́ sequuntur,
Nec pharetris parcunt hostis acerbe tuis:
Haud secus ille animos dictis & pectora mulcet,
Militibusq́ suis talia dicta dedit.
Aduersos vestris hostes defendite ab oris,
Ferte citi celeres tela parata manu:
Ad Domini iussum concurrunt agmina læta,
Inq́ hostes rigidos densa caterua ruit.
Hac virtute ducis præsens victoria parta est,
Dant SVECI in trepidam terga cruenta fugam,
Tanta viri grauitas, & gratia tanta loquentis,
Degeneres animos sic trepidare facit:
Repressit mentem SVECIS ne fœdere rupto
Rursus tentarent horrida bella sequi.
His benè transactis dum cessant prælia Martis,
Ad patrij redijt dulcia rura soli:
Ardor honestatis radicibus aucta meretur
Tunc clarum ingenio nobiliore decus,
Hunc ita præ reliquis splendentem SCANIA vidit
Vt micat ignitas Hesperus ante faces.
Ipse Deus multa fœcundans prole parentes
Legitimi huic dederat pignora chara thori.

Sex etenim hîc natos sublatus morte reliquit,
Tres quoq; filiolas vt monumenta sui:
Gnatum cum Gnata primæuo in limine vitæ,
Inuida mox fato mors properante tulit.
Iam cum cœlitibus versatur iure ministris
Filius, & Christo carmina grata canit:
Angelicas inter viuit castißima turbas
Filia, virgineis addita virgo choris.
Quæ superest fulget claro splendore propago,
Quam regat æterni filius ipse Dei,
Exhibeatq; suo laudemq; decusq; parenti,
Hæc donec mundi Machina pulchra manet:
Æmula quo proles Patrem Matremq; sequatur
Hunc studijs, illam moribus, atq; fide,
Stirpis BILDIACÆ longæua in secula famam
Auctam transmittat, non sine laude domus.
Diues opum quamuis condebat splendida tecta,
Neglexit Christi non tamen ille gregem:
Quis precor ignoret quòd nec studiosior vllus
Feruidiorq; sub hoc æthere natus agat,
Qui sic ingenuos Musarum fouit alumnos
Obtulit his largas Crœsus vt alter opes.
Nunc quæ præstiterat multa cum laude Camœnis
Sumptibus ex proprijs SCANIA testis erit,
Hafniaq; altiloquis quæ nuuc prælucet Athenis,
Testis erit Musis præstita dona sacris.
O dolor atq; decus Phœbi, quis præmia tantis
Digna feret meritis? tristia quemq; premunt.

Et da-

Digna quis illius cantet præconia famæ?
Hæc tantum Musis vis animosa datur,
Qui benè res gestas famosa laude alienas,
Magnificè cantant & super astra ferunt:
Et datur ille tibi vis carminis auree Phœbe,
Nam vestrum coluit numen honore pari.
Arbitrio qui fata suo moderatur in aulam
Hunc tulit æthercam, spirituumq́ chorum:
Ipse vigens annis Musarum fautor Apollo
Pars ingens nostri, dulce leuamen habet.
Dignus erat Musis longam traducere vitam,
Dignus & æterna prosperitate frui:
Hic ne quid turpè aspiceret nunc gaudet Olympo,
Lustratus claro sanguine Christe tuo.
Egregium memori splendorem laude reliquit,
Lethæis vnquam ne premeretur aquis:
Cumq́ polo & stellis victurum in secula nomen
Inq́ seris seclis fama superstes erit.

I.
ELEGIA CONSOLATORIA SCRIPTA AD NObilißimam, pietateq́ ornatißimam Dominam. D. CATHARINAM RONNOV: Generosißimi D. IOHANNIS BILDE defuncti coniugem.

IVncta sed egregio præstans CATHARINA marito,
(Quæ de RONNORVM sanguine clara nites:)
Desine magnanimum postquam pia fata tulerunt
Deplorare virum, cœlica regna tenet:
Charus enim vixit sobolíq; , Deoq́; , suisq́; ,
Suauior & nemo ulsit amore tui,

Is ete

Hic etenim placito fessus persæpe labore,
Nunc recreat somno membra sopita leui,
Sustulit hunc fatum, quia sic diuina voluntas
Decreuit, rata sunt cuncta iubente Deo:
Transtulit hunc Dominus promissi ad gaudia cœli,
Sordibus è mundi quo benè purus erit:
Deseruit mundum, cœlesti fulget in aula,
Conspectu fruitur colloquioq; Dei:
Non hunc insidiæ Satanæ non vlla cupido
Vexabit mundi, nec noua causa mali:
Nunc oculis coram præsentibus aspicit ipsum
Christum, quem solida viderat ante fide:
Pro terra cœlum, vitam pro morte perennem,
Pro grauibus curis gaudia firma tenet.
Illic læticiæ strepitu sine, veraq; vita:
Hic homines nihili tristis & vmbra sumus,
Hic res angusto versantur cardine nostræ,
Hic imperfecti viuimus atq; mali.
Es CATHARINA tuum rursus visura maritum
Quodq; trahis prisca nobilitate genus:
Cum Christus veniet cœlo sublimis ab alto,
Et recinent summum clasica pulsa diem.
Excedens mundo tibi pignora chara reliquit,
His Deus ipse paterq;, tutor, & altor erit,
Te committe Deo, cunctos qui dirigit actus,
Tristia fata dedit, post meliora dabit:
Et tibi sit cordi, Domini benedictio prolem
Auget iustorum prosperitate bona,
Psalmographus liquido hoc certis ostendere signis
Conatur, certis & sacra scripta notis.
Virtutis niueæ cœlo venit impetus ardens,
Commenda votis teq;, tuosq;, Deo:
Fortibus eduntur fortes, & clara parentum
Progenies rarò degenerare solet.
Spes tua nixa Deo recreat qui flamine corda
Ille suos nunquam morte perire sinet.

Qui pro-

Qui proprio ad mortem non vellet parcere gnato
Hic etenim mystes crimina nostra luit:
Victima peccatis hominum mactanda piandis,
Innocua mortis vulnera mente subit,
Amplius haud Lachesis, nec tu mors frigida quicquam,
In Christi famulos iuris habere potes.

A. T. N. R.

II.

ELEGIA CONSOLATORIA SCRIPTA

AD AMPLISSIMVM ET VERÆ NOBILITATIS DOTIBVS ORNATVM, virum pietate, virtute, sapientia, & facundia præstantißimum, D. STENONEM BILDE Dominum de VVandoß, Patronum & fautorem suum summa & debita reuerentia obseruandum.

DAniacos inter proceres celeberrime STENO
Qui decus eximiæ nobilitatis habes:
Tu gemis extincti supremaq; funera fratris,
Nam tibi Theseo fœdere iunctus erat.
Et potius cuperes vitale relinquere lumen,
Hunc superesse tibi si pia fata darent,
Non tantum Pylades charum dilexit Oresten
In quibus asiduè mutuus ardor erat:
Quantùm dilexti germanum sanguine fratrem,
Tàm vehemens ϛοργὴ te redamare facit.
Plus adamauit eum cœli, terræq; creator,
Cuius permissu non obijt, sed abit:

C Nectamen

Nec tamen Elisijs in vallibus vmbra vagatur,
Sed cum cœlitibus regna beata tenet,
Angelicos inter cœtus heroica mens est
Et pœana canit concelebratq; Deum.
Nec quicquam morti de se concedit amaræ
Ossa nisi, & tenuem quæ teget ossa cutem:
Parte sui viuit multò meliore superstes,
Haud obijt cuius nomen, honosq; manent.
Viuere dignus erat longæuæ secla Sybillæ,
Tithoni & seros posse videre dies:
Nam diuina fuit pietate insignis, & acri
Iudicio præstans, & probitate grauis.
Non illo maior, nec erat sublimior alter,
Gloria digna viro non satis vlla datur
Dum face Phœbus obit terras, dum cornua Phœbe
Pulchra gerit, celebris fama superstes erit.
Hîc ego longa tui canerem præconia fratris,
Et veherem superæ laude per astra domus,
Sed premor ingenti tantarum pondere rerum,
Et moles vires opprimit ista meas:
Vix istas digno cantaret carmine laudes,
Maxima Peligni gloria Naso soli.
Sed quia per se se nunc est laudatior ipse,
Quam qui præterea posit habere decus:
Desine luctisonas iccircò STENO querelas
Fundere, tum fratris morte dolere tui,
Qui Christum amplexus clypei vice, spicula mortis
Vicit, tùm stygij tela cruenta ducis.
Sic sua fata manent omnes, omniq; cadendum est
Et nihil eximium mors sinit esse diu,
Omnia mors abolet virtutem præter & artem,
Mens immortalis sola perire nequit:
Omnia prætereunt, nulla est sincera voluptas
Rebus in humanis, fluminis instar eunt:
Prospera contristat fato fortuna seuero,
Aspergitq; labem Parca inimica bonis.

Tam va-

Tam varia est etenim, tam fallax alea vitæ,
Versans humanum speq; metuq; genus,
Et fragilis vita est hominum, damnosa, superba,
Aerumnis multis plena, caduca nimis:
Tot secum ærumnas, tot continuosq; labores
Prouehit, insidijs vndique cincta malis.
Plurima sed Christi, solatia dogmata præstant,
Quod vult feralis pellere tela necis:
Nam mortem victor moriens aboleuit acerbam,
Ne noceat posthac mortis imago pijs.
Cum latus æthereo cœtu stipatus vtrunq;
Cunctorum inquirat facta peracta Deus,
Corpus & indutum rediuiua carne redibit
Ad superas auras, syderiumq; polum:
Tùm quibus innocuo sine crimine vita peracta est,
Præmia cœlesti his sede reposta manent,
Tùm varia accipient varias benefacta coronas,
Cunctaq; iudicio sint manifesta Dei.
Cœlitibus mistos, in regna paterna receptos
Prosperitate bonos vita corusca beat:
Peruersa impietas pereat fornacibus ignis
Aeterni diris, Eumenidumq; malis.

A. THOR. NIC. RIP.



EPITAPHIVM GENEROSO, SAPIENTI, FORTI AC BONO VIRO, DN. IOHANNI BILDE Domini Bildisholmij Scriptum à

Iohanne Georgio Sadolino. P. L.



Visquis es, & lustras isthæc monumenta viator,
Siste gradum, paruo carmine multa scies.
Natus IOHANNES BILDORVM stirpe vetusta
Qui fuit, hîc gelida iam requiescit humo.
Ingenio præstans, lingua facundus, & arte
Fœlix, æthereas accumulârat opes.
Et Latio, Graioq; simul sermone peritus,
Cum doctis potuit verba diserta loqui.
Linguas præterea multas cognouit, & vsum
Addidit: vsque adeò vir studiosus erat.
Acri iudicio lites componere nôrat
Edoctus Legum sancta statuta sequi:
Hostibus ausus erat concurrere fortibus armis
Pro patria quoties bella gerenda forent.
Marte velut rigidus, sic fulsit pace modestus:
Heroo siquidem pectore clarus erat.
Nam grauis & iustus, constans & amabilis heros
Vixit: ab hac fama nobile nomen habet.
Salue care Deo vir, salue miles honeste,
Cumq; bonis Diuis celsus honore vige.
Salue fortis Eques, tua laus inuicta manebit
Dum liquidas voluet Balthica Tethys aquas.
Sedibus Æthereis tua mens nunc enitet inter
Illustres animas Angelicosq; choros.
Et mundi cùm finis erit, tunc corpore pulcro
Splendens, cum summo Rege perennis ages.
Quisquis es, & nostrum legisti carmen, amice,
Sis pius & prudens, & sapienter abi.

FINIS.

